



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. I. Quid sit Charitas, & quod ejus Objectum materiale, & Formale, & an
detur Amicitia inter Deum, & hominem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

At non potest objectum formale virtutis movere ad actum oppositum: certè bonitas DEI, proposita, ut requiritur ad actum spei, scilicet ut infinite bona speranti, vel possidenti, & simul ut acquiribilis, per auxilia Divina promissa, non potest movere ad desperationem. Quia tamen cum hoc objecto formali, seu motivo, possunt adesse alia, e. g. difficultas cooperandi gratiæ, abstinenti a voluptatibus illicitis &c. quæ movent ad desperationem, potest illud motivum spei vinci, & bonitas DEI, atque auxilia Divina componi cum desperatione.

QUÆSTIO II.

*De Objecto Materiali, & Formali,
ac Proprietatibus Habitûs
Charitatis.*

ARTICULUS I.

*Quid sit Charitas, & quod ejus Objectum Materiale, ac Formale, & an
detur Amicitia inter DEUM,
& Hominem.*

745. **D**ico. 1. *Actus charitatis Theologica est amor, quo amamus DEUM super omnia propter seipsum:* id est, non quia bonus nobis, sed quia bonus sibi ipsi est. itare ipsa omnes. Debet itaque hic amor 1. DEUM præferre omnibus rebus, & ipsum appetitativè amare præ omnibus aliis, etiam seipso amante, ut in comparatione DEI nihil non minus ipso æstimet, & pro nulla re, aliquid DEO graviter displicens, admittat; hoc enim utique meretur ejus infinita bonitas, & dignitas. Debet 2. hic amor DEUM amare, hoc est, ipsi velle bonum, tam intrinsecum, sive ejus perfectiones internas, quas ei gratulatur, eumque habere gaudet, quam extrinsecum, sive ejus gloriam extrinsecam, cultum & adorationem, de quibus ei exhibitis gaudet, vel ea exhiberi desiderat. Debet 3. hic amor præcindere ab omni concupiscentia, seu propria amantis utilitate, ut non quærat ullum bonum suum, sed solum bonum DEI: qua de causa amor charitatis dicitur amor benevolentiae (cum alter intendens bonum amantis, dicatur amor concupiscentiae) imò talis amor in amantibus rationalibus dicitur quoque, & est amor amicitiae, etiam inter DEUM, & hominem, ad statum gratiæ elevatum; nam inter hos, ut paulò post docebimus, datur amicitia. Ex his facillè inferitur, quod *Habitus charitatis sit virtus Theologica, elicitiva amoris DEI super omnia propter seipsum:* adeoque, quod, sicut spes, ita etiam charitas, spectet ad voluntatem, non ad intellectum; quia scilicet charitas elicit volitiones, non cognitiones.

746. Hic ex occasione noto, ab Innocentio XII. inter damnatas 23. propositiones, primam esse proscriptam, quæ sic habet: *Datur habitualis status amoris DEI, qui est charitas pura, & sine ulla admixtione*

motivi proprii interesse. Neque timor pernarum, neque desiderium remunerationum habet amplius in eo partem. Non amatur amplius DEUS propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem, in eo amando invenientiam. De hac propositione visus est quidam sensisse, eam fuisse damnatam, propterea, quod adstrueret amorem charitatis puræ sine ulla admixtione motivi proprii interesse: seu sine ullo respectu ad proprium amantis commodum. Verum per eam damnationem neutiquam reprobatus est actus purissimi amoris erga DEUM, quem Sancti frequentissime eliciunt, & adhuc eliciunt: sed tantum damnatum est, dari statum habitualem, & permanentem, in quo anima pia omnibus actibus, proprium bonum respicientibus, adeoque etiam omnibus actibus spei, exuta sit, ut patet ex terminis ipsius propositionis, & ex testimonio eorum, qui causæ illi, dum ageretur Romæ, consultores interfuerunt.

747. Et ratio eam propositionem damnandi (ut & alias ei similes, inter easdem 23.) erat, quod doceret, dari statum stabilem animæ, in quo ista non obligaretur ad eliciendum actum spei Theologiæ strictè talis; nam spes, quæ admittitur in propositione 11. non est strictè actus spei, sed charitatis; nam sic habet propositio: *In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse: sed nunquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis, & intimis, spem perfectam, quæ est desiderium disinterestedum promissionum;* desiderium enim disinterestedum, seu non quærens ullo modo bonum proprium, non est spes, prout hæc à Theologis communissimè definitur.

Jam verò nullus est status, in quo cesset obligatio præcepti spei, sive per se, sive ratione insurgentium tentationum, quibus nullus status est liber, & quibus succumberet sæpe infirma natura, nisi spes futurorum bonorum sustentaretur. Et sic etiam sanctissimi viri, in statu perfectò constituti, eliciunt actus spei, de consequendis bonis futuris, & his se exererunt in tribulationibus suis.

Sic S. David Psal. 118. v. 112. ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* De Moyse dicitur ad Hebr. 11. v. 26. *Majores divitias aestimans thesauro Aegyptiorum improprium Christi; aspicebat enim remunerationem.* S. Paulus 2. ad Timoth. 1. v. 12. de se ait: *Ob quam causam etiam hac patior, sed non confundor; scio enim, cui credidi, & certus sum; quia potens est, depositum meum servare in illum diem.* item 2. ad Timoth. 4. v. 8. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex: quamvis iidem Sancti sepius etiam exercuerint actus charitatis purissimæ, sine ullo ad propriam utilitatem respectu.*

748. Dico 2. Objectum materiale charitatis primum est DEUS: objecta autem materialia secundaria sunt res aliæ, quæ amantur propter DEUM, e. g. Humanitas Christi, B. Virgo, proximi nostri, item actio-

actiones conducentes ad bonum, vel gloriam DEI &c. Assertio hæc quoad 1. p. est clara ex ipso conceptu actus charitatis Theologicæ, qui ex primario suo fine amplectitur præ omnibus DEUM. Prob. quoad 2. p. Quando unum primario amamus, sæpe amamus propter ipsum alia; quia primario amato bona sunt: ergo actus charitatis secundario etiam amplectitur ista.

Insuper, cum primario amatus sæpe cupiat, ut alius habeat aliquod bonum, e. g. ut homo habeat æternam beatitudinem, etiam ipsi placet; ut propter se, seu intuitu sui, illi alteri idem bonum velimus; hinc possumus, ex charitate Theologica velle proximo bonum, e. g. æternam beatitudinem: ita tamen, ut hanc ipsam, unâ cum ipso proximo, ultimato referamus ad DEUM: & sic actus charitatis principaliter semper respicit DEUM: ex quibus facillè patet, DEUM esse objectum materiale charitatis primarium, alias verò res esse objecta materialia secundaria.

749. Alii dicunt, DEUM esse objectum materiale charitatis *cui ultimum, & primum*: alia autem posse esse objectum materiale *cui secundarium, & non ultimum*: fors clariùs, & usitatiùs loquerentur, si dicerent, quòd DEUS sit *finis cui primarius, & ultimus* charitatis: alia verò sint *finis cui secundarius, & non ultimus*: quorum terminorum explicationem dedimus *tract. de beat. à n. 3.* Et utique DEUS est *finis cui simpliciter ultimus*; nam ad ipsum ultimato omnia referuntur, & ut ipsi bona per charitatem primario amantur: siquid autem alteri, e. g. proximo, boni volumus, vel ei amamus, aut etiam ei boni facimus, e. g. amore DEI damus ei elemosynam, tunc ille à nobis consideratur ut *finis proximus, non ultimus*: ei que taliter considerato bonum volumus, vel conferimus; quia, ut jam dictum, ultimo tandem omnia ad DEUM referimus.

750. Dico 3. Per actum charitatis Theologicæ possumus, tanquam objectum materiale secundarium, amare omnes creaturas rationales, in cœlo, & in terra, atque in purgatorio, etiam peccatores, hæreticos, & infideles &c. ita communissima. Prob. DEUS omnes istos amat, & vult à nobis amari: ergo. ant. prob. quòd DEUS amet Beatos in cœlo, item justos in purgatorio, atque in terra existentes, est extra omnem controversiam: sed neque potest negari, quòd DEUS amet peccatores, adhuc in terra, seu hac vita degentes; quia seriò cupit omnes salvari, & ex amore, atque intentione salutis eorum, confert ipsis media sufficientissima, ad hanc obtinendam.

Quòd autem DEUS velit, ut nos istos omnes amemus, satis patet ex eo, quòd præcepto charitatis nos obliget, ad amandum proximum, etiam infidelem: quòd velit nos colere Sanctos, & succurrere animabus purgantibus. At verò non possumus per actum charitatis diligere damnatos in inferno, sive angelos, sive homines; quia istos DEUS non ampliùs amat, & efficaciter decrevit,

nullum ampliùs iis bonum conferre: adeoque non possumus his DEI hostibus, in æternum ab ipso abjectis, ullum bonum velle.

751. Dico. 4. Objectum formale quod charitatis est bonitas Divina, non ut bona nobis, sed ut bona DEO. ita omnes. Prob. Actus charitatis non est amor concupiscentiæ, sed amor benevolentia, imò amicitia: differentia autem inter hos amores intrinseca est, quòd prior amet bonum proprium, alter verò bonum amici, ut agnovit ipse Aristoteles, qui *8. ethic. c. 7.* ait, *amicum amico velle bona ejus ipsius causa*: ergo, quod movet ad actum charitatis, est bonum DEI, quatenus ipsi bonum. Jam verò, cum charitas sit virtus Theologica, adeoque debeat habere objectum formale quod Divinum, debet hoc ipsum bonum esse Divinum, adeoque bonitas intrinseca DEI ut ipsi bona. Habet autem charitas Theologica tantum objectum formale quod, & nullum formale quo; quia nullum habet motivum, quod intrinsecè respicit actus, & non simul amat, vel amplectitur.

752. Sed neque habet hæc charitas ullum objectum formale quod creatum; nam omnia creata sunt tantum ejus objectum materiale; quia ab ea omnis bonitas creata propter aliud, scilicet propter bonitatem Divinam, non propter se, diligitur. Et hinc charitas excellit fidei, & spei, ut ait S. Paulus *1. Cor. 13. v. 13.* *Major autem horum est charitas*: adeoque est nobilissima virtus in via. An autem major sit lumine gloriæ, disputant Theologi, de quo videri potest Gormaz *tract. de beat. à n. 212.* Videtur tamen charitas habitualis inferior esse gratia sanctificante, à qua eam suppono esse distinctam *ex tract. de gratia n. 266.* nam gratia sanctificans facit formaliter filium DEI adoptivum: habitus autem charitatis tantum arguitivè, & tanquam instrumentum: insuper, ut statim *n. 1.* diximus, gratia sanctificans est quasi natura in ordine superno, cui habitus charitatis, & alia debentur: natura autem est præstantior suis potentiis, & proprietatibus.

753. Dico 5. Datur inter DEUM, & hominem justum, vera amicitia, atque adeo actus charitatis est amor amicitia. ita omnes Catholici. Prob. In Sacris Scripturis sæpe homines vocantur amici DEI: ergo sunt tales, & consequenter datur amicitia inter DEUM, & ipsos. prob. ant. *Judith. 8. v. 22.* dicitur *Abraham DEI amicus effectus est. Psalm. 138. v. 17.* *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui DEUS. Sapient. 7. v. 14.* *Quo thesauro sapientiæ qui usi sunt, participes facti sunt amicitia DEI. 2. Paralipp. 20. v. 7.* *Dedisti eam semini Abraham amici tui.* & alibi sæpius. Confir. Tridentinum *sess. 6. c. 7.* definit sic: *Unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus*: intellige DEI: cujus scilicet fit hæres, ut ibidem dicitur. Ex qua definitione Concilii etiam habetur, verba S. Scripturæ literaliter de amicitia cum DEO verè tali intelligenda esse.

Amicitia autem præter benevolentiam duo requirit. 1. Jus ad amorem mutuum, seu redamationem; nam amici debent se redamare: nec satisfacit officio amici, qui non redamat, ut per se patet; unde etiam DEUS justos se amantes redamat juxta illud Prov. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* 2. Amicitia requirit proportionem in natura; neque enim homo canem, vel equum, amat amore amicitiae, vel sit eorum amicus, quamvis eis vel maxime quandoque bene velit, e. g. eos cibo exquisitissimo nutriat, etiam sine suo commodo; quia scilicet non datur proportio in natura.

754. At verò inter hominem justum, & DEUM, datur proportio sufficiens in natura, per gratiam sanctificantem, quæ est participatio Divinæ naturæ, in quantum naturam humanam elevat ad tam altum statum, ut participet gradum illum intellectivitatis Divinæ, quem nulla creatura ex se ipsa potest habere, scilicet, ut DEUM videre possit intuitivè; habet enim DEUS solus à natura sua, ut seipsum possit intuitivè videre, & nulla creatura ex se potest eò pertingere: gratia sanctificans tamen ita elevat, saltem radicaliter, naturam humanam, ut possit videre DEUM intuitivè, quatenus scilicet gratia exigit lumen gloriæ, de qua re vide Suarezium. P. 3. de grat. l. 7. c. 1. n. 30. ex quo hæc paulò fusiùs deduxi in tract. de gratia à n. 264. Hæc gratia sanctificans etiam est adoptio in filium DEI: nam adoptio in genere juxta Juristas est assumptio legitima nature extraneæ: per gratiam autem assumit DEUS naturas hominum, & Angelorum, sibi extraneas, scilicet nec identificatas, nec unitas. Eadem quoque gratia est jus ad redamationem: & hinc parvuli baptizati ante usum rationis habent jus ad hoc, ut DEUS eos amet, etiam si ipsi eum necdum amare possint. Ex quo inferitur (quod suprà diximus) actum charitatis Theologicæ semper esse actum amicitiae, inter DEUM, & hominem; nam vel homo pro priori jam est justus, & amicus DEI: vel certè redditur per ipsum actum charitatis in eodem instanti amicus: adeoque actus charitatis est actus amicitiae, saltem renovata.

ARTICULUS II.

Solvuntur Objectiones.

755. **O**B. 1. contra 3. conclusionem. Homines non adorantur ab habitu latriæ, propter excellentiam DEI: ergo neque amantur ab habitu charitatis, propter bonitatem DEI. ant. videtur certum. conseq. constat ex paritate rationis. Resp. neg. conf. & paritatem, quam etiam negat S. Thomas. 2. 2. q. 25. a. 1. ad 2. dicens: *Amor respicit bonum in communi: sed honor respicit proprium bonum honorati; deferitur enim alicui in ta-*

limonium propria virtutis, & ideo amor non diversificatur specie propter diversam quantitatem bonitatis diversorum, dummodo referantur ad aliquod unum bonum commune: sed honor diversificatur secundum propria bona singulorum. Unde eodem amore charitatis diligimus omnes proximos, in quantum referuntur ad unum bonum commune, quod est DEUS: sed diversos honores diversis deferimus, secundum propriam virtutem singulorum; & similiter DEO singulare honorem latriæ exhibemus, propter ejus singularem virtutem.

756. Ne autem obijci possit, quod, sicut amor in communi respicit bonum in communi, ita etiam honor in communi respiciat tantum excellentiam in communi: & sicut honor in specie respicit excellentiam in specie, ita etiam amor in specie respiciat bonitatem in specie: respondet Gormaz tract. de charit. Theol. disp. 2. n. 89. & seq. (ubi citat Contentonum, Granadum, & Ripaldam) Angelicum tantum velle dicere, quod amor, licet utique possit ferri specialiter actu in bonitatem in specie, tamen etiam possit ferri in bonum commune, adeoque non necessariò exigit in objecto materiali bonitatem: quam enim bonitatem e. g. invenit amor DEI in gravissimo peccatore? econtra verò honor non possit ferri in excellentiam in communi, sed debeat ferri in excellentiam in specie: & hinc nemo possit honorari præcisè propter excellentiam alterius: sed, si quis etiam propter alterum honoretur, e. g. prorex propter regem, tunc hæc ipsa assumptio, vel elevatio ad officium proregis, sit excellentia aliqua propria talis hominis: sitque motivum colendi proregem.

757. Verum videtur sæpe aliquid colli, propter excellentiam alterius, & non propter propriam, præsertim quando aliquid colitur cultu, qui vocatur respectivus. Sic adoratur lignum sanctæ crucis, quod non habet tantam excellentiam sibi propriam, ut propter eam adorari debeat. Unde non male idem Gormaz tr. de charitate disp. 2. sec. 2. n. 90. & seq. ait, amorem ita tendere in bonum commune, ut nullam bonitatem in objecto materiali, propter alium amato, exigit, nisi bonitatem alterius, ob quam amatur, applicatam moraliter, e. g. per voluntatem, qua amatus vult, hanc rem propter se amari: & sic propter DEUM amamus hostes nostros infensissimos, peccatores gravissimos &c.

At verò honor, seu cultus, ut idem author vult, non fertur tantum in excellentiam in communi, sed exigit saltem aliquam dignitatem, vel excellentiam propriam, in objecto honorato, quam etiam habent ii, qui honorantur propter alium, e. g. prorex, sacerdos, sancta crux, aut vasa sacra &c. supposita autem tali speciali dignitate in objecto, potest dein istud honorari, vel cultu minore, ipsius speciali excellentiæ debito, vel cultu majore respectivo, propter excellentiam alterius: & sic sancta crux dic